INDICTIO UNIVERSALIS

JUBILÆI

ANNI SANCTI

MILLESIMI OCTINGENTESIMI VIGESIMI QUINTI.



NEAPOLI MDCCCXXIV.
EX TYPOGRAPHIA ANGELI TRANI.

(III)

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christifidelibus præsentes Literas inspecturis Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod hoc ineunte saeculo ex teterrima temporum asperitate omissum lamentabamur, id tandem, faciente Domino miserationes suas, prope jam esse, ut ex more, institutoque Majorum feliciter peragatur, datum est humilitati Nostrae denunciare vobis cum gaudio. Adstat nimirum Annus ille auspicatissimus, summaque religione venerandus, quo ad hanc Almam Urbem Nostram et Beati Petri Sedem ex toto Orbe concurritur, et universis fidelibus ad pietatis officia excitatis, cumulatissima quaeque reconciliationis, et gratiae praesidia in animarum salutem proponuntur. Hoc quippe Anno, quod vere tempus acceptabile, ac salutis appellamus, praeclaram occasionem datam gratulamur, ut post miserandam malorum congeriem, quae ingemuimus, salutari totius Christiani Populi expiatione omnia in Christo instaurare contenderemus. Decrevimus idcirco pro tradita Nobis divinitus auctoritate coelestem illum thesaurum latissime reserare, quem ex Christi Domini, ejusque Virginis Matris, omniumque Sanctorum meritis, passionibus, ac virtutibus comparatum Auctor salutis humanae dispensationi nostrae concredidit. Qua quidem in re magnificare Nos decet abundantes divinae clementiae divitias, quibus praeveniens nos Christus in benedictionibus dulcedinis infinitam suorum meritorum vim ita voluit in sui mystici corporis partes diffundi, ut ipse etiam mutua inter se opera, ac saluberrima utilitatum conjunctione ex fidei, quae per charitatem operatur, unitate invicem juventur, immensoque Dominici Sanguinis pretio, et ob ipsius causam, ac virtutem meritis etiam, et suffragatione Sanctorum remissionem lucrentur temporalis poenae, quam non totam semper, ut in Baptismo fit, dimitti per Poenitentiae sacramentum Tridentini Patres docuerunt.

Audiat itaque Terra verba oris Nostri, clangoremque sacerdotalis buccinae Sacrum Jubileum populo Dei personantis, universus orbis laetus excipiat. Annum expiationis, et veniae, redemptionis, et gratiae, remissionis, et indulgentiae advenisse inclamamus, in quo longe sacratiori ratione in spiritualium bonorum cumulum per Eum, per quem et gratia, et veritas facta est, illa novimus renovari, quae jam anno quolibet quinquagesimo apud Judaicum Populum lex vetus nuncia futurorum invexerat. Si enim divendita praedia, et quae alieni juris effecta fuerant bona, anno illo salutari vindicabantur, nunc virtutes, et merita, et dona, quibus peccando exuimur, ex infinita Dei liberalitate recipimus. Si humanae tunc servitutis jura cessabant, acerbissimo in praesens diabolici dominatus jugo depulso, in libertatem evocamur Filiorum Dei, in eam nimirum, qua donavit nos Christus. Si demum ex legis praescripto pecuniae credita debitoribus condonabantur, ipsique nexu quolibet erant soluti, graviori nos debito peccatorum absolvimur, poenisque ipsorum divina miseratione subducimur.

Tot itaque, tantaque haec animarum lucra votis adproperantes, fidentique animo per viscera misericordiae suae abs lārgitore bonorum omnium Deo adprecati, quod praestituti temporis ratio postulat, ac pia Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum admonent instituta, illorum vestigiis inhaerentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium assensu, universale, maximumque Jubilaeum in hac Sacra Urbe a primis Vesperis Vigiliae Nativitatis Sanctissimi Salvatoris Nostri JESU CHRISTI proxime futurae inchoandum, et integro anno millesimo octingentesimo vigesimo quinto duraturum, auctoritate Dei Omnipotentis, ac Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, et Nostra, ad ipsius Dei gloriam, Catholicae Ecclesiae exaltationem, et totius Christiani Populi sanctificationem indicimus, et promulgamus. Quo quidem Jubilaei anno durante omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, sacraque Communione refectis, qui Beatorum Petri, et Pauli, nec non Sancti Joannis Lateranensis, et Sanctae Mariae Majoris de Urbe Basilicas semel saltem in die, per triginta continuos, aut interpolatos dies sive naturales, sive etiam ecclesiasticos, nimirum a primis Vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum computandos, si Romani, vel Incolae Urbis, si vero Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem hujusmodi dies, devote visitaverint, et pro Sanctae Ecclesiae exaltatione, Haeresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, et Christiani Populi salute, et tranquillitate, pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, et veniam misericorditer in Domino concedimus, et impertimur.

Et quoniam evenire potest, ut ex iis, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa Urbe, morbo, vel alia legitima causa detenti, aut morte praeventi, praefinito dierum numero non completo, ac ne fortasse quidem inchoato, praemissa exequi, et dictas Basilicas visitare nequeant; Nos piae, promptaeque illorum voluntati, quantum in Domino possumus, benigne favere cupientes, eosdem vere poenitentes, et confessos, ac Sacra Communione refectos, praedictae Indulgentiae, et remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas Basilicas diebus a Nobis praescriptis reipsa visitassent, ut praefatis necessitatibus impediti, desiderii sui effectum, dono Sancti Spiritus, consequantur.

Haec, Filii, paterno vobis affectu annunciamus, ut qui laboratis, et onerati estis, eo convoletis, ubi reficiendos Vos fore certo scitis. Neque enim ad salutares opes petendas ex aeternis illis divinae gratiae aerariis, quae sanctissima, atque indulgentissima aperit Mater Ecclesia, segnes fas est esse, ac socordes, quando tanto intenditur studio terrenis divitiis comparandis, quas et tinea corrumpit, et demolitur aerugo. Cum vero ingens vel a priscis temporibus, et adsiduus hominum omnis ordinis concursus, diuturnis licet, infestisque itineribus, ex toto, qua late patet, orbe terrarum, invaluerit ad princeps hoc artium bonarum domicilium invisendum, quod et aedium magnificentia, et loci majestate, et monumentorum pulchritudine suspiciunt pene ad prodigium effulgere; turpe equidem foret, maximeque ab studio aeternae beatitudinis alienum, vel difficultatem viarum, vel fortunarum discrimina, vel alias id genus causas ad Romanam peregrinationem avertendam pertexere. Est est,

Dilecti Filii, quod graviora quaelibet incommoda cumulatissime compenset; imo haud certe condignae erunt, si quae fortassis occurrant, passiones ad futurae gloriae pondus, quod parata in animarum bonum subsidia, Deo juvante, operabuntur in vobis. Fructus enim poenitentiae uberrimos inde metetis, quibus et corporis castigationem ex molestorum actuum diuturnitate offeratis Deo, et praefinita ex indulgentiarum legibus opera sancte praestetis, et ad susceptam, constantemque de vindicandis, propulsandisque criminibus voluntatem novum hunc cumulum adjiciatis.

Ascendite itaque accincti renes in Sanctam hanc Hierusalem, Sacerdotalem, Regiamque Civitatem, quae per Sacram Beati Petri Sedem caput Orbis effecta latius praesidere conspicitur religione divina, quam dominatione terrena. *Haec* quidem *Urbs est*, inquiebat S. Carolus populares suos ad Romanum iter per Annum Sacrum adhortans, *haec Urbs est*, *cujus tellus*. *muri*, *arae*, *ecclesiae*, *Martyrum sepulchra*, *et quidquid oculis obversatur*, *sacrum quid animis ingerit*, *ut ii experiuntur*, *ac sentiunt*, *qui rite comparati sacros illos recessus invisunt*. Pensate enim, quantopere ad fidem, et charitatem in spectantium animis excitandam conferat, vetusta illa loca circumire, quibus mirifice commendatur Religionis majestas: tum statuere sibi ante oculos tot Martyrum millia, qui suo hanc terram sanguine sacravere, ipsorumque basilicas adire, conspicere titulos, lypsana venerari. Jam vero, cum ita *splendeat Caelum*, *quando radios sol emittit*, *ut Romanorum Urbs duas illas lucernas Petrum*, *et Paulum habens per totum Orbem lucem emittentes*, ut inquiebat Sanctus Joannes Chrysostomus, quisnam, nisi impensissimae devotionis affectu, auserit ad ipsorum confessiones accedere, ad sepulchrum procumbere, vincula auro, gemmisque pretiosiora deosculari? Quis demum a lacrymis temperet, quando vel Christi incunabula cernens, vagientem de Praesepi recogitet Infantem JESUM, vel sacratissima Dominicae Passionis instrumenta adorans, pendentem e ligno meditetur Redemptorem Mundi?

Quae quidem Religionis augusta monumenta cum singulari quadam divinae Providentiae liberalitate hac una in Civitate coaluerint, sunt profecto jucundissima quaedam amoris pignora, quo diligit Dominus portas Sion super omnia Tabernacula Jacob, Vosque universos, Dilecti Filii, peramanter invitant, ut omni cunctatione abjecta in Montem conscendatis, in quo beneplacitum est Deo habitare.

Hic vero postulat sollicitudo nostra, ut Almae Urbis Ordines universos speciatim compellamus, id ipsis in mentem revocantes, oculos videlicet Fidelium ex toto Orbe huc adventantium in eosdem conjectos esse; nihil proinde, nisi grave, moderatum, et quod Christianum deceat, praeseferre ipsos debere, ut ex eorum moribus caeteri exemplum petant pudoris, innocentiae, virtutum omnis generis. Hinc Catholicam Ecclesiam, Ecclesiaeque auctoritatem revereri, praeceptis ejus obtemperare, ecclesiasticis et rebus, et hominibus magnum semper honorem tribuere perdiscant caeteri a Populo hoc electo, apud quem Beatissimi Petri Cathedram Pastorum Princeps voluit collocatam. Floreat in eo debita Ecclesiis reverentia, ut nihil, quo cultus, locusque ipse despici, contemptuique haberi videatur, nihil, quod honestis, et castis animis, et non fictae verecundiae adversetur, notent externi homines, quibus imo admirationi sit severa, et sancta disciplina, qua composito quilibet habitu corporis decla-

ret, se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non solum corpore, divinis rebus adesse. Id et de festis diebus urgemus, ne qui dies sacris officiis obeundis, praestandoque in Deum, ac Coelites honori sunt instituti, celebritati epularum, et ludorum, inconditisque laetitiis, ac lascivienti licentiae in Civitate Sancta appareant addicti. Tandem *quaecumque sunt vera*, *quaecumque pudica*, *quaecumque justa*, *quaecumque sancta*, *quaecumque amabilia*, *quaecumque bonae famae*, haec splendeant in Romano Populo, ut quam gloriam fidei, et pietatis vel ab ipso Apostolo Paulo in exemplum commendatae, a Majoribus, tanquam haereditatem omnium optimam, accepit, non modo nulla ipsum macula respersisse, sed etiam studiis, moribusque praeclaris illustrasse gratulemur.

Nos quidem bona hac spe recreamur, aemulaturum quemlibet charismata meliora, ovesque Dominici Gregis in Pastoris amplexus adcurrentes fore aciem illam ordinatam, cujus vexillum charitas. *Leva* itaque *Hierusalem in circuitu oculos tuos*, *et vide. Filii tui de longe venient*, *et mirabitur*, *et dilatabitur cor tuum* . . . . utinam vero *veniant ad Te curvi Filii eorum*, *qui humiliaverunt te*, *adorentque vestigia pedum tuorum omnes*, *qui detrahant tibi*!.... Vos, Vos omni Apostolici nostri cordis affectu adloquimur, quos a vera Christi Ecclesia, et semita salutis adhuc abreptos ingemiscimus. In communi hac laetitia, quod deest unum, id Parenti amantissimo deferte : ut nimirum superni Spiritus instinctu in admirabile lumen advocati, cum hac omnium Matre, et Magistra Ecclesia, extra quam non est salus, dempto quocumque divisionis laqueo, ex animo consentiatis. Nos quidem dilatantes cor nostrum paterno vos sinu laeti excipiemus, Deoque totius consolationis benedicemus, qui Nos hisce misericordiae suae divitiis in summo Catholicae veritatis triumpho locupletarit.

At Vos, Venerabiles Fratres, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, hisce Nostris curis, studiisque adlaborate : vocate coetum, congregate populum, ut Filii vestri ad ea dona suscipienda excitentur, quae in Filios dilectionis per ministerium Nostrae humilitatis Pater misericordiarum dispensanda commisit. Breves meminerint esse dies hujusce nostrae peregrinationis, et cum nesciamus, qua hora Pater familias venturus sit, vigilandum idcirco esse, et lampades ardentes, plenasque oleo charitatis portandas in manibus, ut venienti Domino festinantes, lubentesque occurramus. Vestrarum item sit partium disserere accurate, quanta Indulgentiarum vis sit; quantus habeatur earum fructus in remissione non canonicae solum, sed et temporalis poenae pro peccatis debitae apud divinam justitiam ; quantum denique subsidii ab coelesti illo thesauro ex Christi, et Sanctorum meritis in eos etiam deferatur, qui cum vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint; et omissis, adhuc tamen ipsorum animae purgatorio igne expiantur, ut eis in aeternam patriam ingressus pateat, in quam nihil coinquinatum ingreditur. Adeste heic animo ; Venerabiles Fratres, sunt enim, qui sapientiam secuti, quae non ex Deo est, oviumque se velleribus obvolventes, simulata ut plurimum purioris pietatis specie prava etiam nunc commenta in eam rem disseminant in populis. Jam vero Gregem edocete; quaenam praestare ipsum oporteat, quibus pietatis, et charitatis officiis, sese exercere, qua diligentia, quo doloris sensu se, vitamque

suam expendere, et quidquid vitiosum in moribus extet, abjicere, et emendare, ut uberrimum, verumque fructum sacratissimae indulgentiae consequatur.

Caeterum id Vobis, Venerabiles Fratres, curandum quam maxime est, ut qui ex vestro Grege peregrinandi consilium susceperint, religiose id obeant, cuncta nimirum in via fugiant, quae pium eorum studium perturbare, et a sancto instituto abducere possint, et illa potius instanter sectentur, quibus accendi Religio solet, atque incitari. Si vero pro personarum, locorumque ratione liberum Vobis sit ad hanc Religionis Arcem venire, plurimus sane e vestro conspectu splendor ad hanc celebritatem accedet, maximas divinae misericordiae opes consciscetis, easdemque veluti ditissimas merces referentes, cum reliquo vestro Populo jucundissime communicabitis.

Haud vero ambigimus, Charissimos in Christo Filios Nostros universos Catholicos Principes Nobis in tanta hac re auctoritate, qua valent, adfuturos, ut haec de animarum salute consilia optatos exitus nanciscantur. Eos idcirco rogamus, atque hortamur, ut pro praeclaro, quo in Religionem feruntur studio, Venerabilium Fratrum Episcoporum sedulitati obsecundent, curasque eorumdem summopere adjuvent, ac commeantibus intra suarum ditionum fines tuta ubique itinera, atque hospitia paranda curent, ne in pientissimo opere ulla iisdem inferatur injuria. Eos certe non fugit, quaenam ubique facta fuerit conspiratio ad sanctissima rei et sacrae et publicae jura convellenda, et quae mirabilia operatus sit Dominus, qui extendens manum suam, arrogantiam fortium humiliavit. Reputent proinde ipsi animo, juges ac debitas gratias Domino Dominantium, qui fecit victoriam, esse agendas, tum humili, multaque prece divinae misericordiae praesidium exorandum, ut, cum serpat adhuc, quasi cancer, nequitia impiorum, opus, quod Ipse incepit, pro sua in nos clementia perficiat. Nos sane haec cum primis ob oculos habuimus, quando de Jubilaei celebratione deliberavimus, probe gnari, quodnam sacrificium laudis offeratur Deo communi hac totius Christiani Populi consensione ad coelestia illa munera assequenda, quorum thesauros omnes patefacimus. In id itaque et ipsi Catholici Principes contendant, et animo cum sint magno, et excelso, sacratissimum hoc opus impenso studio, adsiduoque praesidio contueantur. Experti enim dignoscent, hoc potissimum pacto divinas se misericordias advocaturos, ac vere pro suo se imperio peragere, quidquid ad rei sacrae incolumitatem, atque ad pietatem fovendam gesserint, ut omni enecato vitiorum semine invalescat seges laeta virtutum.

Verum ut haec omnia e voto succedant, vestras, Filii, quotquot estis ex Christi Ovili, preces apud Deum exquirimus: confidimus enim communibus votis, et obsecrationibus, quibus et pro fidei Catholicae bono, et pro errantium reditu ad veritatem, ac pro Principum felicitate divinas miserationes deposcatis, nostram Vos infirmitatem in gravissimo sustinendo munere esse quam maxime sublevaturos.

Ut autem praesentes Litterae ad omnium Fidelium quibusvis in locis existentium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis etiam impressis, manu tamen alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eamdem prorsus adhiberi fidem, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum indictionis, promulgationis, concessionis, hortationis, rogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentatiore praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum. ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo vigesimo quarto. Nono Kalendas Junii. Pontificatus Nostri Anno Primo.

A. G. CARD. PRO-DATARIUS J. CARD. ALBANUS

Visa
De Curia D. TESTA

Loco ✠ Plumbi *F. Lavizzarius.*
Registrata in Segreteria Brevium.

Anno a Nativitate Domini millesimo octingentesimo vigesimo quarto, Indictione duodecima, die vero vigesima septima Maii, Festo Ascensionis Domini Nostri JESU CHRISTI, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri Domini LEONIS Divina providentia PAPAE XII. Anno Primo, praesentes Literas Apostolicas in Atrio Sacrosantae Basilicae Vaticanae de Urbe, adstante Populo, legi, et solemniter publicavi.

Ego Dominicus Testa Abbreviator de Curia.

Anno a Nativitate Domini millesimo octingentesimo vigesimo quarto, Indictione duodecima, die vero 27. Maii, Pontificatus SS. D. N. LEONIS PAPAE XII. Anno Primo, supradictae Litterae Apostolicae in Atrio Basilicae Principis Apostolorum ut supra publicatae ad valvas ejusdem Basilicae affixae fuerunt, ac aedem postea publicatae in Basilicis S. Pauli, Lateranensi, et Sanctae Mariae Majoris, et ad earum valvas affixae fuerunt, prout similiter ad valvas Cancellariae Apostolicae, et Magnae Curiae Innocentianae in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae, ac aliis locis solitis, et consuetis Urbis, dimissis copiis, ut moris est, per Nos Aloysium Pitorri, et Josephum Cherubini SS. D. N. PP. Cursores.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.